



21

AUSPICATISSIMO NATALI,
SERENISSIMI PRINCIPIS,
ELECTORATUS SAXONICI
NOVI HÆREDIS,
JOHANNIS GEORGII
QVARTI,
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ,
MONTIUMQUE DUCIS,

&c. &c. &c.

INTER VOTA PUBLICA, AC PRECES,

GRATULATORIA,
JUSSU DECRETOQUE ACADEMICOR. PATRUM,
IN TEMPLO ARCIS WITTENBERGÆ
DICTA, HABITA, CONSECRATAQUE,

FESTO PURIFICAT. MARIÆ,
A. clb. lbc. LXIX.

d

GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,
Eloqv. Prof. Publ.



In Officinâ FINGELIANA excudebat MICHAEL MEYER.

15



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEORGIO
SECUNDO,

D. G.
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MON-
TIUMQUE DUCI, S. ROM. IMP. ARCHIMARESCHALLO

AC ELECTORI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI
MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVIO
MAGDEBURGENSI, COMITI MARCHÆ
ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN:

PIO, MAGNIFICO, PATRIÆ PATRI:
AVO.

UT ET

SERENISSIMO ELECTORATUS SAXON. HÆREDI,
ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEORGIO
TERTIO,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MON-
TIUM DUCI, &c. &c. &c.

PATRI:

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS,

DE PRINCIPE NEPOTE FILIOQVE,

QVA POTEST PIETATE ET SUBMISSIONE,
GRATULATUR

SERENITATI IPSORUM DOMUS

PERPETUO DEVOTUS

GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJER.



GEORGI CASPARIS KIRCHMAJERI
GRATULATORIA,
IN NATALEM
SERENISSIMI PRINCIPIS
JOHANNIS GEORGII IV.
ELECTORATUS SAXONICI
HÆREDIS,
PUBLICO NOMINE DICTA.

Siquisqvam in
coetu hoc amplissimo, in
sistâ Auditorum omnis ordi-
nis ætatisqve clarissima panegyri existe-
ret, qui celebritatem diei hodiernæ,
qviq; impetum immensi gaudii, animo-
rum omnium nostrorum sinus perten-
tantis miraretur; ille, licet cum ignarissi-
mis ignoret publicam felicitatem no-
stram, nec, quid tot Regum, Electo-
rum Principumq; Augustissimorum Ex-
cellentissimi Legati, in unum hoc ipso
confluentes tempore sibi velint, as-
A fe.

sequatur satis, Te saltem, **RECTOR**
MAGNIFICE, & hanc sacrosanctam,
 quam conscendi ex decreto **PATRUM**
 cathedram, intentius contueatur. An-
 niversariis solemnibus nimirum Acade-
 miæ natalis sexagesimus sextus supra cen-
 tesimum (quod felix fortunatumq; o-
 men sit!) reolebatur nuper, quo, cum
 inter sventas orandi formulas pro novo
 fascium Academicorum Capite crean-
 do, cathedrale templum hoc, castissimæ
 religionis arbitra ac testis, & concentu-
 um varietate, & modorum in voce, in
 organis dulcedine resonaret, pulcherri-
 mum nobis miraculum accurata illa
 providentia repræsentavit. Visum ita
 erat supremo munerum distributori
 Deo, ut post innumera, quibus Domum
 Saxoniam Electoralem cumulavit, be-
 neficia, mensuram desideriorum omni-
 um impleret, & quicquid ubiq; Saxones
 Mysiq; votorū ad aras, ad cathedras con-
 cepissent hæctenus, damnaret reos, here-
 de masculo, divino Principe donato.

In-

Inter hæc effusissimæ lætitiæ momenta, tot conspirantibus in unum gratulationibus, quævis loqui imperatum est, filere, sacrilegio affine crimen videatur. Quamquam enim nullo non tempore preces pro incolumitate optimorum Principum fas nuncupare sit; vix tamen alio religiosius id debitum exsolvi, quam dum eorum ortus, cum his primitus indulti terris sunt, lætis ominosisque vocibus concelebramus, affirmare confidenter posis.

Quæ me ratio cunctantem impulit non nihil, ut hoc die festo, hoc loco sanctissimo, vestrum prodirem in conspectum, a quo omnis ætatis, omnisque sexus ora in laudes faustasque solvuntur acclamationes. Elaboratam tamen ad pluteum subinde cæsum dictionem, & debita æternitati monumenta illi adornabunt, quorum moribus amoenitatem, ingeniis excellentiam fors magis propitia ingeneravit. Satis secum clementer agi humilitas sibi videbitur hæc nostra, si in-

affe-

affectatosimpliciq; genere dicendi, precantium more magis, quàm facundissimorum hominum sermonibus se commendaverit. Quicquid ad magnificentiam, quicquid ad pompam & lætitiæ communis instrumenta pertinet, ab Aulis, quàm à Scholis potiùs sperandum. Ego met iccircò ut ingenii sterilioris certissimus mihi omnium sim testis, haud committam tamen, licet eloqvendo nullâ consequi ratione laudem possim, ut primum Academiæ totius, & meâ deinceps pietate non gratulatum veniam, mole dicendorum obrutus. Nec enim hîc difertitudo Oratoris alicujus, sed officii ex jussu obeundi maximè religio spectari debet.

Dicamus **BONA VERBA!** venit

Natalis, ad aras,

Quisquis ades, lingvâ, Vir juvenisq;
fave!

Au-

Augustales cunas nunc salutaturi ritè,
 à Numine, à coelo, (undè Magnifici
 infantis maximè origo pendet,) natalium
 prærogativas, non fictâ tamen & imagi-
 nariâ subtilitate, sed ex admirandis vetu-
 stissimæ omnium domus Saxonicæ fatis,
 ex omine non simplici deducamus altiùs.
 Antiqui scilicet Heroës, ut amplissimis
 Imperiis conciliarent majestatem, origi-
 nes suorum & primordia ad deos refe-
 rebant; ut ita divinis humana temperan-
 tes, augustiora facerent auspicia regno-
 rum. Quin & iidem post expleta vitæ spa-
 cia, ad deos iterum excedere, arrogantif-
 simâ apotheoseos religione putabantur.
 Fuit hæc ortus divini affectatio Regum
 Principumq; ad parandam sibi inter ho-
 mines fortunam gloriamq;, efficacis aucto-
 ramentum apud suos; quo tandem am-
 bitionis æstu perciti, ultra politicas pro-
 gressi artes sunt, ut mortalitatis turpiter
 obiti, deorum originem audacter satis-
 mentirentur. Causa hæc certè extitit,
 cur magnus ille orbis domitor Alexan-
 B der,

der, non Philippi amplius Macedonis, sed
 ipsius Jovis filius, non sine matris Olym-
 piadis rubore, coli haberiq; voluit. Ama-
 zonum Reginae illae, apud nobilissimum
 scriptorem, Marpesia & Lampeto, ad-
 versus hostes suscepturae bellum, ne spes
 & auctoritas successibus deesset, Marte se
 praedicarunt genitas. Eodem patre fa-
 tos se olim, Romulus Remusq;ve fratres,
 matreq; lupâ quadrupede nutritos, pro-
 babili gentilibus miraculo finxerunt. Ju-
 lius quoque Proculus veterrimus senator
 fidem fecerat Romanis, visum abs se Ro-
 mulum fuisse, (qui à patribus discerptus
 ob ingenii asperitatem fortè erat) augu-
 stiore formâ, mandare etiam, ut se pro
 Numine acciperent, Quirinum in coelo
 vocari, ita diis placitum. C. Julius Cæsar,
 qui magnum ac singulare in Republicâ
 libera dominium subinde affectabat, ut
 ad potentiam majorem, aditum pararet
 sibi, in Juliae amitae laudationibus, mater-
 num genus à Regibus, paternum cum
 diis immortalibus conjunctum esse,
 Tran-

Tranquillo referente,causabatur. Gal-
 bam quoq; Imperatorem novimus, quò
 claritatem gentis ostentaret, ne, qui tam
 divinis in summo fastigio Heroibus suc-
 cederet, indignus videretur stemma
 suum, in atrio palam proposuisse, in quo
 paternam quidem à Jove, maternam
 verò stirpem à Pasiphaë Minois Regis
 conjugè repetebat. Vespasianum Ti-
 tus, Titumq; frater & successor in impe-
 rio Domitianus, cum humanâ, statione
 functi desissent, ut illis pariter & sibi con-
 suleret, in deastrorum censum retulit.
 Valeant, valeant hæc jactabundæ adula-
 tionis vaframenta, in eorum gratiam
 conficta maximè, qui aut honestiore de-
 stituti ortu, aut infelicissimi post obitum,
 ut paganorum omnis natio, precarium
 divinitatis characterem istiusmodi e-
 mendicarunt. Certior & diviniore tener-
 rimi Ducis origo **JOHANNIS**
GEORGII IVti Nostri est, quem
 prius, ac in lucem ederetur, tot passim ca-
 stis precibus ac votis, quâ latissimè non
 Ele.

Electoꝛatus Saxonici modò, sed & Re-
 gnorum Daniae Norvvagiaeq; fines pa-
 tent, in publico & domi conceptis, à Nu-
 minis indulgentissimi favore impetravi-
 mus. Non mirum est ergo, si grande coe-
 li hoc depositum, quâ decet pietate, am-
 plectamur, & maꝛtum origine, ma-
 ꝛtum divinitate illâ salutemus. Terre-
 stres quidam DII Principes, in primis
 boni piiq; sunt, qui hoc propius ad divi-
 nam eminentiam assurgunt, quò veræ
 religionis cultu potissimum & bonitate
 antecellunt alios. Tua, SERENISSIME
 ELECTOR, JOHANNES GEORGI
 SECUNDE, felicitas incomparabilis
 hæc dici potest, quòd summus inter Pro-
 ceres Imperii sacrosancti hujus Ensiser
 Princeps, pro incorruptâ divini verbi or-
 thodoxiâ, potentiore manu, indefessisq;
 curis stas, vigilas, & non defatigaris. O
 egregios dignosq; tanto Principe cona-
 tus, qui, dum AUGUSTUS Germaniæ
 OCTOVIR, divisum inter paucos cum
 Cæsare moderatus Imperium hucusq; es,
 unus

unus in tuis regionibus ac terris, tot pro
 religione, pro pace publicâ, pro memo-
 riâ sanctissimi LUTHERI Tui, tot sol-
 lemnia festa indixisti hæctenus! Confun-
 dantur omnes & erroris temerarii se da-
 mnent, qui secûs, ac par est, sperantes, in-
 tegritati & fervori Principis piissimi ore
 sacrilego detractum ire audent. Remu-
 neravit pietatem tuam, DOMINE, &
 remunerabit, uti pergas, porrò Deus;
 exaudivit æther preces, dedit heredem
 Principem, dedit Nepotem: quo quid
 fingi consummatius per vota, quid im-
 petrari majus potuerit, non video, non
 intelligo. Inter Alexandri Macedonis
 singularia, ad magnitudinem omina rela-
 ta legimus, Philippum patrem post nu-
 ptias cum Olympiade visum esse, alvo
 conjugis insignem affixisse bullam, cujus
 sculptura leonis imaginem repræsenta-
 ret. Quâ verò nocte peperisset filium
 Olympias, maximi per Asiam nominis,
 Dianæ Ephesinæ templum conflagrasse;
 Magis, qui tum Ephesi degebant, respon-
 den-

C

den-

dentibus, alicubi exortam facem, cuius incendio totus oriens conflagraturus esset aliquando. Quin & invictum fore Alexandrum, qui inter tot victoriarum palmas Philippo reportatas nasceretur, ex Græcorum vatibus nonnulli divinarunt. Felicem & eximiam Servii Tullii Regis indolem Tarquinii uxor Tanaquil, ex visâ circa pueri caput flammâ facile conjecit. Fallor ego penitus? an propiora iterum & certiora in Summi Principis Parentis Filiiq; natalibus se omnia hic nobis offerunt? Tuus, SERENISSIME JOHANNES GEORGI TERTIE, natalis, in ipsa seculi istius incidit initia, ex quo in gentem domumq; vestram, Fortunatissimi PRINCIPES, sacer Imperii Romani ensis & septemviralis purpura concessit. Et ominari haud ex vano liceat, industria fatorum factum, ut ex favillis veluti divorum haec tenus Majorum, post centum ipsos annos Phoenix aliquis, in regiminis æterni pignus nasceretur. O eat in secula futura

ra

ra memorabilis exempli annus ille! Faciat hoc semper DEUS, nec unquam in his admirandis aut favor ejus, aut felicitas lassetur nostra! Sed quid de Seculari anno dixi? dies ipsemet natalis Academiae proprius, idem & DUCI Primogenito communis nuper factus est. Sexta nimirum supra centesimam lux, à FRIDERICI Sapientis ELECTORIS, Conditorisq; Saxonicarum Athenarum inauguratione, ad æternam instituti divinisimi memoriam solennis recurrebat, quâ, cùm PATRIÆ PATREM, & ELECTORALIS Domus SAXONICÆ, Academiaeq; hujus incrementa suspiriis devotis commendaremus DEO, jam tum novum & Augustale aliquando Caput emicuerat; jam ludebat in ulnis, jam in osculis MAGNIFICUS hærebat. Accipimus subditi religiosi omen; ANCILE & PALLADIUM demissum coelitùs, rei q; omnis literariæ delictum & præsidium firmissimum futurum aliquando (si conservet Numen, quod medullitùs precamur)

Prin

Principem vocamus, speramus, & ad
 congratulationes studio incredibili ac-
 cendimur. Crescat, vigeat, floreat Magni
 Patris Magnus Filius! asvescat Pietati, as-
 vescat literis in posterum, Serenis-
 mumq; Avum, Invictissimum FRIDE-
 RICUM III. Monarcham Daniæ Nor-
 vvagiæq; sapientiâ & eruditione referat
 maturus! O nos, ô posteros felices, si pro-
 sper & serenus in annos ultimos natalis
 PRINCIPI, natalis Academiae commu-
 nis redeat! Inter rariora meritò exempla
 numerandi mirabiles Timoleontis Co-
 rinthii videntur casus, qvi praelia maxi-
 ma natali suo fecit omnia: quo factum
 etiam, ut natalem ejus diem Sicilia uni-
 versa (quam à Tyrannis liberârat) fe-
 stum ageret quotannis. Inscribebantur hæc
 potius annalibus æternis memoranda:
 JOHANNES. GEORGIUS. IV.
 SAXONIÆ. ELECTORALIS. HE-
 RES. INTER. MEDIAS. PRECES.
 PUBLICAS. DIE. TRIBUS. ACADE-
 MIIS. WITTEBERGENSI. HEIDEL-
 BER.

BERGENSI. ET. ROSARUM. NA-
 TALI. NATUS. DIE. NATALI.
 AVIÆ. SERENISSIMÆ. MAGDA-
 LENÆ. SIBYLLÆ. BRANDENBUR-
 GICÆ. RENATUS. A. NATALI.
 LUTHERANÆ. REFORMATIO-
 NIS. PROXIMUS. SINE. COMPARI.
 EXEMPLO. EST. Referat posteritas
 & obstupescat cernua fatorum Saxoni-
 cæ felicitati priorum granditatem!
 Annus agebatur ultra millesimū, a nato
 Servatore centesimus vigesimusq; septi-
 mus, quo primus Misnie Marchio Con-
 radus Magnus factus, ex honore novo
 & regione fertilissimā, amplissimas obti-
 nuit accessiones. Exacto seculo sequenti
 spem proximam ad Saxonie Palatina-
 tum, in Henrico Illustri, & Thuringie
 Landgraviatum Domus Illustrissima
 promerebatur. Post elapsos centum
 quasi annos iterum ex Ostrolandie, Plif-
 nens. & Franconie montane partibus,
 Deum immortalem, quanta sum sit incre-
 menta! Anni centum decessere rursus,

cum in Friderico Bellicoso, Electorali eminentiâ cumulabatur. Vix seculum effluxit proximum ad limitem fatalem, dum divino auspice Luthero, novum non in Saxoniâ hâc tantùm, sed in orbe Christiano omni lumen, ex his ortum terris fuerat. Paucos ultra seculare ævum annos inde numeres vicissim, ex quo insigne fidei & felicitatis præmium in Lusatiâ utrâqve reportavit nunquam sine virtutis admiratione cogitandus **JOHANNES GEORGIUS Magnus.** Rerum in hâc mundi scenâ humanarum casus, dum sub grandi illo divinæ providentiæ sipario occuluntur, apparent subobscuri; in publicam protracti lucem, supremi Numinis clementiam sapientiamq; apertissimè loqvuntur. Nec ex incerto penitus quis divinâ rit, plura porrò & pulcherrima miracula secretiorem illam gubernatricem Augustali Domui Saxonicæ, cum stupore omnium exhibituram.

Nunc dum coelestem **PRINCIPI**
PIS

PIS exortum & prosperrima natalium
 auspicia expressimus sermone sterili ac
 infacundo planè, cum quidem de Regiis
 Electoralibusque Avis, Proavisque & in-
 numeris illis Heroibus dicere aliquid pa-
 ramus, parum abest, ut voce objurgato-
 riâ ingenitæ simplicitati graviter succen-
 seamus. Nam ut supremis potestatibus
 indigna rerum & orationis vulgaritas ex-
 istit; ita nostris majestas illa sensibus se
 minimè infundit. Quando tamen ve-
 stro, PATRES Sapientissimi, consulto
 morem gerere, ut decet, quam in re tanta
 vadimonium deferere maluimus, succe-
 detis in partes excusantium ipsi, & hoc,
 quod imposuistis onus, sublevabitis spe-
 ro. Animadvertimus enim Numen
 ipsum non tam accuratis adorantium
 precibus, quam innocentiam lætari: gra-
 tioremque existimari vulgò, qui facilem
 castamque mentem, quam carmen medi-
 tatum aliquod intulerit. In hoc autem
 difficillimo proposito quid est, quod me-
 morari obiter, aut prætervehi à quo-
 quam

quam possit? Siderum contemplatores imitabimur hic saltem, qui, dum coeli faciem cognoscere quodammodo, & designare aliis laborant, infinitis passim praetermissis stellis aliis, confugiunt ad asterismos, nec Jovestantum Veneresq; ac Martes, sed compage veluti collectas imprimunt figuras sibi, Oriones, Hercules, Geminos, Leones, Coronas, Virgines & quid non tandem? Hebescit non oculorum modo, sed mentis acies omnino, Infans Illustrissime, cum in illa Lumina, in ignes istos splendidissimos, a quibus lucem accepisti, defigimus obtutum. Quot enim quaeso Duces, Electores, Reges, Imperatoresq; Majores Tui atq; necessarii hic allegandi forent, si in remota annalium nos abderemus, ituri per tot seculorum haecenus decursus? Fuerit gloriosum Macedoniae Regibus, jactante illud Alexandro, longissima annorum serie paternum ab Hercule, aut ipso demum Jove, maternum ab Achille genus numerare. Fingamus Caesarem a Julio, Aeneae

Æneæ filio, quoniam & ab Anchisa Vene-
 reque, quod pro rostris satis ille arro-
 ganter factus erat, descendisse. Demus
 Octaviam Augusti gentem, à Tarqui-
 nio Prisco Rege allectam in Senatum,
 à Servio Tullio transductam in pa-
 tricios. Sobole bis septima ab Ænea
 profugo, inter Albanos dominos, A-
 mulium regnasse largiamur. Plus fidei,
 plus admirationis, plus eminentiæ, ori-
 go nostri **PRINCIPIS** meretur.
 Inter sceptræ & Regale solium educa-
 ta Mater Serenissima **ANNA SO-**
PHIA, ex Regio prognata sangvi-
 ne, has nobis edidit delicias. Cujus si
 seorsim & exstantia in regnatrice do-
 mo nomina inspicienda essent; secu-
 la, non clepsydras immensus labor po-
 stularet. Tibi, **JOHANNES**
GEORGI III. SAXONI-
CI ELECTORATUS
HÆRES, propria felicitas hæc
 cesit, quod ducem, quod mascu-
 lum hæredem primogenitum, & alte-
 E rum

rum te ipsum in tanto vides pignore. Tibi Potentissime ELECTOR, nullis exprimenda vocibus, lætitia tum accidit, cum ex Nepote Principe Te Avum salutarent subditi. Vidissemus humescentes tuos oculos, & ex impotenti gaudio lætissimos. Atq; hoc magis in posterum precabimur, ne quando tibi non eadem lachrimarum causa materiesq; surgat. Sæpe ego mecum tacitus agitavi, Auditores, qvalem qvantumq; esse illum Principem oporteat, qvem amet Deus, & sibi simillimum haberi velit? Tria cum primis esse, qvibus præeminet Numen & excellit omnia, existimabam, æternitatem vitæ, potestatemq; maximam & perpetuam in homines benignitatem. Immortalitatis qvidem, nisi literarum & facinorum egregiorum gloriâ apud posteritatem vivant, frustra videantur appetentes. Imperio ac Majestate verò ut reliqvos in universum supergrediuntur; sic liberalitate tamen & clementiâ ad genium Numinis qvâm proximè accedunt.

Is

Is verò Tute ipse es, Indulgentissime Nutritor, qui Te diem perdidisse cum Tito Vespasiano putas, nisi munificentia & jugi liberalitate expleas largissimi parentis partes. Dat Tibi ergo Deus bona, quæ mereris, indulget læta quæ desideras. Veruntamen quid talia confector atq; colligo? quasi verò aut complecti aliquis oratione, aut memoriâ possit ea assequi? Dabis tamen pietati veniam, AUGUSTE, quòd, dum de antiquissimis Majoribus illis tuis dicere aliquid promisi, in admirationem gloriæ & virtutis tuæ exerrârim aliquantò. Prodeant in medium hic Alexander, Cæsar, Augustus, illa virtutum, (ut Flori ore loquar) monstra, fortunæ miracula, & tremenda orbi olim fulmina, ab atavis Regibus, ab Heroibus, à diis ipsis deniq; si tamen placeat iisdem, ultimas sui origines arcessant. Quid quæso Jupiter, quid Hercules, quid Venus? dignissima idola sc. à quibus per fabulas aniles, generis aut incertitudinem quandoq; aut obscuritatem illustrarent,

qui

quitalibus habebant opus. Videas ultrò
 ambitiosos aliquos, ut à Pompejis Ma-
 gnis, Catonibus Majoribus, Fabiisque Ma-
 ximis, in ostentationem stemmatis aviti,
 sine tabulis patriciis, sine Quiritium suf-
 fragio, securi planè temporum, historia-
 rum nescii, ex Gothicis, Longobardicis,
 Vandalicis quibusq; demum aliis profa-
 piis, quàm vetere oriundi Latio, natali-
 um rivulos sectentur. Antiquissimi
 verisimiq; & se planè digni ortus, Dux
 noster sibi conscius existit. Quis enim
 verò Saxonum priscorum Regem ulti-
 mum, Angrivariorum Magnum Ducem
WITIKINDUM, ante nongentos
 propemodùm hos annos gestarum re-
 rum gloriâ famigeratissimum, quo
 acriorem inter Germanos hostem Ma-
 gnus ille Carolus non habuit; quis
WITIKINDUM Juniorem, Wettini
 Comitem, Burggraviumq;ve Sorbigen-
 sem, & Wittenbergæ hujus conditorem,
 magnum Magni **WITIKINDI** filium
 ignorat? Wettini Comitem dum dixi,
 reda.

redactos à victore Carolo Imperatore
 Duces in Comitum fuisse ordinem,
 sciendum est. Duces nimirum rei
 militari maximè intenti erant, quod
 è vernaculo ipsorum nomine apud
 Germanos constat: Comites autem,
 & his inferiores Centenarii, ipsiqve vi-
 carii principes justitiæ administrandæ
 vindicandisqve criminibus & publi-
 cæ tranquillitati retinendæ, velut præ-
 fides agebant. Postideà tamen ver-
 gente in senium familiâ Carolinâ, in-
 valescentibus ex gloriosâ W I T E-
 KINDI Regis stirpe iterum Saxo-
 nibus, i. e. HENRICO AUCU-
 PE & OTTONE MAGNO
 ad Imperii fastigium evectis, Burg-
 graviorum, Principumqve & Ducum
 potentia succrevit in immensum. Diet-
 gramus & ipse Wettinensis Comes
 Burggraviusqve Sorbigensis WIT-
 TEKINDUM sequitur; Tibi ta-
 men, Optime atqve Maxime E L E-
 CTOR, interserendū videri Fridericum,
 F ma-

majorem natu Wittichindi junioris, non
 sum planè nescius, & temporum requirit
 series. Dietgramum filius exceperat Dith-
 marus, ob virtutem & prudentiam belli-
 cam, agnato atq; Cæsari Henrico Aucu-
 pi fide maximâ probatam, multò cele-
 berrimus. Successor filius Dithmari Die-
 tericus I. & hoc patre natus Dedo I. Wet-
 tini & Merseburgensis Comes, Burggra-
 vius Sorbigensis, Budsesfina Dominus,
 fatorum ordine commemorandus ad-
 est: Hunnorum ille & Vandalorum Sar-
 matarumq; terror, dux pro Ottone III.
 consanguineo fortissimus. Dedone I.
 genitus Theodoricus, quem vulgò Die-
 tericum alterum appellant, primus o-
 mnium Marchio Landsbergius, Wettini,
 Seidlizii, Henburgiq; Comes, nova nomi-
 na, nova lumina Illustrissimæ familiae
 tunc intulit. Dabis veniam, DOMINE,
 hallucinanti interim, qui ad unguem usq;
 & articulos Majorum vetustissimorum
 seriem tuorum nosti, si confundi dixerim
 Dedones à scriptoribus nonnullis, qui
 omni-

omninò ita ordinandi rectius, ut ex Dieterico, ejus nominis secundo fratres, Dedo alter atq; Timo statuatur. Hunc Timonem certè Misnensem Marchionem primum ab agnato Cæsare Henrico IV. ob heroica facinora creatum, quotusvisq; nescit? Conradus Timone patre cretus, Magnus Piusq; cognomento, Marchio Misnensis, Lusatiae, Rochlitii ac Ilenburgi Dominus, Burggravius Sorbigenis, Petrimontis cum Dedone fratre conditor, FRIDERICO I. Barbarossæ gener, Deum bonum, quæ nova ille ac inusitata ante decora progenitoribus adjecit? Et nihil adhuc de Ottone filio Conradi, clarissimarum civitatum conditore, nihil de Dieterico, Ottonis cognomento Divitis nepote dixi: elogiumq; ex virtutibus Illustris ac Magnificus Henricus Dieterico genitus, Thuringiæ primus ex suâ gente, ad id temporis, Landgravius, Misnensis Marchio, egregius bellator, dignus Leopoldo Austriaco Duce gener, promeretur. Proximo hinc gradu abest

oib

est

est filius Albertus, Friderici II. Imperatoris filiam nuptum deponens sibi obtinensq; . Et nunc Friderici tandem magno ordine se nobis offerunt; Fortis primus atq; Animosus Saxoniae Palatinus, Landgravius Thuringiae, Misniae & Ostrolandiae Marchio : hinc secundus Gravis ac Severus, Romanorum designatus Rex : mox Fridericus III. Strenui insignis laude, praeter axiomata honorum augustissimorum, Franconiae superioris Dominus. Quorum an admirari primum magnitudinem dignitatesq; novas; (a summis aliis Principibus ambiciosissime quaesitas,) an excellentiam virtutum, quod fortes, quod graves, quod strenui, propriis velut cognominibus consalutati fuerint, depraedicare prius debeam, incertor animi. Nam & conscientia tenuitatis & copiosa memorandorum seges obstat, & incusanda mihi vel audacia, vel incogitantia videtur, qui tot voluminum uberrimam materiam, verborum tam exiguo compendio

dio comprehendi posse, arbitratus sum.
 Aderat, aderat fatalis ille Saxonicae felicitati gloriaeque terminus, quo a vitae i. e. regali eminentiae perennis Witikindi stirps restituebatur. Te appello, FRIDERICE, Bellicose, qui primus omnium Saxonorum Ducum, virtute bellica imprimis, & pro Imperii quiete praestita Imperatori fide, novum coelo tuo fidus, ab Electorali majestate intulisti. Tu es, divine Princeps, qui per Fridericum Placidum pulcherrimi ingenii natum, per Albertum Magnanimum, nepotem, pronepotemque Henricum, illum purissimae religionis vindicem, traducto interim ad filiorum alterum Ernestum, Fridericum Sapientem, Johannem Constantem, & Johannem Fridericum, Electores, fastigio augusto (aequantibus fortunam fatis, ne invidiae objiceretur una domus, inter tot excellentissimos competitores,) in MAURITIO, libertatis Germanicae ac veritatis Evangelicae Camillo, potentiam & epomidem septemviralem, facrum

G

crum

crumq̄ve istum Imperii Romani ensẽm,
 fulgore maximo exsplendescẽtem po-
 steritati tuæ commendaſti. Inde enim
 à Potenti MAURITIO & Pacifico
 AUGUSTO Fratribus, non heres pro-
 sapiaẽ Augustali, non heredi defuit Ele-
 ctoratus. AUGUSTUM quando
 nominavi, pietatem, sapientiam, liberali-
 tatem & amorem erga literatos, uno
 concipi complexu velim. Hic CHRIS-
 TIANUM I. postea, & ex eodem
 pignus incomparabile & Imperii Germa-
 nici Asylum, Divum JOHANNEM
 GEORGIUM I. Tuum, Serenissime
 ELECTOR, sine exemplo maximum
 Parentem, STATOREM LITERA-
 RUM, DEFENSOREM PATRIÆ
 INVICTUM, RELIGIONIS LU-
 THERANÆ BENIGNUM CON-
 STANTEMQVE DEFENSOREM,
 ET MORIS VERE ANTIQVI AC
 CANDORIS PRINCIPEM concessit
 terris. O immensam coelestis gratiæ ma-
 gnitudinẽ! ô admirabilem & nullis morta-
 lium

lium vocibus exprimendam felicitatem!
 Quot enim Cæsarum, quot Regum,
 Ducumq; hætenus aliorum florentissi-
 mæ familiæ, cum sedibus, nominibus, ho-
 noribus, mutata, extinctæ & in solidum
 oblitteratæ interciderunt; dum ultra no-
 num fere seculum, perenni ac indelibato
 flore viguit, viget & vigebit, fortunante
 Deo, augusto i. e. regali culmine stirps
 semper repullulascens WITIKINDI.
 Devicerit Europæ, Africæ ac Asiæ late-
 patentes regiones, gentesq; infinitas Ale-
 xander; hæredem ex se masculum non
 vidit; ac spernebatur etiam orbitas ipsius.
 Tutissima majestas quippe imperantis
 est, hærede suo nixi: hæc arx inaccessa,
 hoc inexpugnabile munimentum, non
 indigere alio munimento, nisi tali. Ma-
 jor virtute Alexandro Cæsar, majorq;ve
 Cæsare ac fortunatior Augustus, adopti-
 vis & imaginariis hæredibus in tam va-
 stissima imperia successuris, contenti esse
 debuerunt. Eviluit Trajanus Nerva, si-
 biq; in Imperio adjungere consortem vo-
 luit,

luit, ut orbitatis, ut senii contemptum vindicaret. Qvis Magno major Carolo inter Germanos? superârit ipse Witikindum licet; superatus ante septingentos annos iterum â Witikindeis fuit. Miserranda rerum facies, ex nobilissimâ familiâ Carolinâ, nullum tempore Arnulphi superesse amplius legitimo susceptum matrimonio, qui summam orbis capeſſere dignitatem potuiſſet. Eratin Carolo quidem primo coeli terrarumq; capax animus: Ludovicus verò Pius magnitudine paternâ multis gradibus inferior; & de ipsius filio Lothario tacere præſtat, quàm vera etiam proferre: laudi prior, quàm vituperationi Calvus extitit: Balbus memoriam regni brevitatem obſcuravit, & in ſimplice majorum gloriâ conſenuit. Carolus tandem Craſſus ſine exemplo curatorem habuit Arnulphum fratris filium, qui cum Zundibolcho ſuo deſiit in vanum nomen. Habet, cur gaudeat, cur glorietur Domus antiquiſſima **SAXONICORUM AUGU-**

GUSTORUM. Vivit (& vivat diu-
tissimè, precamur) Pater patriæ JO-
HANNES GEORGIUS II. valet,
(atqve valeat longissimè) SAXONICI
ELECTORATUS spes certissima
JOHANNES GEORGIUS III.
Adest, (& adsit in annos ultimos super-
stes,) prosper & olim augustus JOHAN-
NES GEORGIUS IV. Non sibi no-
stra temperat religio, quin cum Poëta-
rum principe exclamet:

Aggredere ô magnos, aderit mox tempus, honores,

Clara DEùm soboles, magnum Patris incrementum!

Adspice convexum nutantem pondere mundum!

Adspice venturo latentur ut omnia seculo!

O mihi tam longe maneat pars ultima vite,

Spiritus, & quantum sat erit tua dicere facta!

Intellexistis PATRES atq; AUDITO-
RES venerandi, Principis infantis or-
tum, quo splendidior & divinio-
rem votis ne quidem accuratissimis for-
mare liceat. Non illa temerè contin.

H gunt,

gunt, bona; sapientia diviniore hinc subest, quam ut ingenio cuiusvis gubernari possit: & fatigata nostris precibus, nostrisque votis providentia coelestis, pro salute ac aeternitate stemmatis Saxonici Electoralis excubavit. Sed quò prolixitatis ab eo? qui vel à solâ brevitate vobis, A. studebam equidem placere. nempe de innumeris aliis ad ingenii, corporis & fortunæ dotes pertinentibus nec quicquam adhuc memoravi; nec, qui communia illa aliis relinquere apud animum constitui, propria secutus tantum fata, decoram modulatis firmi corporis faciem, & formam omnes excellentem pulchritudines commemorabo: nec brachiola & delictos artus illos, & id genus alia, auribus eruditissimis exponam nunc. More veterum acturus magis, annale munus & pro sacrificio libamineque, fausta Principi tenello apprecabor. Solebat superstitionior antiquitas in natalis festi solen-

ſolemnibus propitiare Genium, ſub
 cuius curâ tutelaqve ſe natum quisqve
 ſomniabat. Genio igitur per ætatem
 omnem ſacrificabant quotannis, &
 cum eodem infantiles iſtas deas, (Luci-
 nam, Levanam, Cuninam, Ruminam,
 Cubam, & plura ejus generis nomina)
 invocabant teſtes & conſervatrices.
 Vota precesqve apponebant, ad ſedu-
 ctas divas muſitantes rogantesqve in
 communi: bonam mentem, bonam
 famam, bonam fidem. Sacrabant bo-
 vem, eqvum, camelum, & nescio quid
 deniqve; fundebant merum Genio,
 manusqve floribus ornabant. In na-
 talibus Heroum ludos inſtruebant et-
 iam, quos natalitios dixere; quales illi
 in honorem J. Cæſaris, Titi Veſpasia-
 ni, Nervæ, Hadriani, Antonini, Gor-
 diani, Conſtantini Magni, à ſcriptori-
 bus egregiis notati. Genius tuus, In-
 fans maxime, non affectatum Nu-
 men tutelare aliquod, ſed Sereniſſimi
 Pa-

Parentes Aviꝑ; tui sunt: quorum gratia
 exsuperantissima nisi nostrum foveat ad-
 mittatq; obsequium, de simplici hâc &
 erubescendâ gratulatione actum erit
 protinus. Juno tua, Exoptate PRIN-
 CEPS, Lucina atq; conservatrix, Avia
 Incomparabilis, Electrix provida voca-
 ri jure potest. Hæc nimirum est, quæ,
 ut in irrupti duraturiꝑ; foederis conte-
 xtum, cum Saxonica Electorali domo
 Regiam Danorum æterno vinculo
 connubii felicitis colligaret, tot itinerum
 molestias, tot terrarum mariumq;ve tra-
 ctus volens lubensq; experiri pariter ac
 superare, Dei beneficio, minimè omni-
 um gravata est. Dabimus vota nos o-
 mnes tui subditi, preces allegabimus per
 divas nostras seductasq; Musas, ut, quæ
 una nos circumstat eademq;ve maxima
 sollicitudo, valeas diu superstes, & vesti-
 giis Majorum laudatissimorum instes!
 Te Sator rerum æterne ac Sospitator,
 sine cujus auxilio altissima quæq; mor-
 talium quatiuntur, oramus, quæsumusq;
 voce

voce publicâ, prece devotissimâ, uti Prin-
cipem hunc nobis, nepotibus, & si qua
ulterior sperari potest, posteritati serves,
tantoqve muneri æternitatem addas.
Te porrò veneramur supplices, custo-
di, protege Inviçtissimum Piissimumq;
DANIÆ ET NORWAGIÆ MO-
NARCHAM, FRIDERICUM
III. ac SOPHIAM AMALIAM,
Reginam Serenissimam! Serva impri-
mis verò ac tuere Potentissimum SA-
XONIÆ ELECTOREM nostrum,
JOHANNEM GEORGIUM II.
cum Eminentissima Principe, MA-
GDALENA SIBYLLA, Conju-
ge! Sospita deinceps & auge spem &
præsidium ELECTORATUS hujus
JOHANNEM GEORGIUM
III. cum Excellentissimo tori deli-
cio, ANNA SOPHIA Duce!
Assere ac æterna augustissimam Saxo-
nicam familiam in universum omnem!
bonosq; ac lætos & salutare singentibus

I

ejus-

eiusdem curis & consiliis eventus tribue!
 Unum omnium singulorumq; & idem
 simplex votum est, SALUS PRINCI-
 PUM! Pro quâ merum fundant Genio
 qui possunt, alii spectacula, ludosq; con-
 sectentur, certent obsequiis, gaudiis, no-
 bilissimisq;ve exercitamentis. Ego voti
 simplicioris compos factus, satis piè,
 satis feliciter, quantum vis in-
 facundus,

D I X I





AUSPICATISSIMO NATALI,
SERENISSIMI PRINCIPIS,
ELECTORATUS SAXONICI
NOVI HÆREDIS,

JOHANNIS GEORGII

QVA

SAXONIÆ, JULII
MONTIUMQVÆ,
&c. &c.

INTER VOTA PUBLI

GRATULA

JUSSU DECRETOQVE AC
IN TEMPLO ARCIS
DICTA, HABITA
TAQV

FESTO PURIFIC

A. clb. loc.

GEORGIO CASPARI
Eloqv. Pro



In Officinâ FINGELIANA excu

